

lib. 18. director. pag. 311., in Conimbricen. 25. Julii 1655. lib. 19. decret. pag. 484, et in Lucana 16. Martii 1726, quas resolutiones refert *Benedict. XIV.* de Synod. dioeces. lib. 2. cap. 11. §. 13. eisque absque discussione articuli adhaeret. Quandoque vero ob defectum potestatis in Abbate ordinante contrarium definivit teste *Pignatell.* consult. 367. numer. 5. et seqq. tom. 1. Accessitque rotalis decisio 985. coram Seraphino, cui titulus: *Dubium Sac. Congregationis Concilii.* De mandato enim Clementis VIII. quaesitum fuit in nostris terminis: an Abbates, qui habent facultatem conferendi tonsuram et minores ordines subditis sibi Regularibus, possint stante decreto Concilii Tridentini cap. 10. sess. 23. tonsuram ac minores ordines conferre personis saecularibus habentibus literas dimissorias a suis Ordinariis? et sacrum Rotae auditorium respondit: non posse, non tantum scilicet licite, sed nec etiam vattide, ex quo sublata est praecise et absolute facultas Abbatibus conferendi ordines, praeterquam Regularibus eis subditis, ut in dict. decis. num. 9.

Quae autem pro validitate ordinationis ab hac sacra Congregatione prodierunt definitiones, ad antiquum forsitan respexerunt Abbatum privilegium ordinandi etiam non subditos. At re ex restricto ad subditos privilegio paucis ab hinc annis expensa, nullam EE. Vestrae declararunt ordinationem etiam Manachi factam ab Olivetano Abbate post dimissam Abbatiam. Quaesitum sane fuit die 20. Septembris 1788 per folium manuscriptum in causa Congregationis Olivetanae.

I.: An constet de nullitate ordinationis, ita ut sit iteranda?

II.: An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, rehabilitatione et dis-

pensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit?

Atque EE. Vestrae rescripserunt constare de nullitate et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo. Re-proposita vero causa in Congregatione dici 28. subsequentis Novembris ampliarunt rescriptum in haec verba: „In decisio et Monacho esse secreto reiterandos ordines minores et ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo pro absolutione a suspensione ejusdem Monachi propter susceptionem ordinem Subdiaconatus per saltum ejusque rehabilitatione, necnon pro dispensatione ab irregularitate ad cautelam, quatenus in dictis ordinibus ministraverit,“ illudque Sanctissimus die 10. Decembris in omnibus benigne approbavit et annuit pro gratia absolutionis a suspensione, rehabilitationis et dispensationis ab irregularitate, quatenus ministraverit, arbitrio et conscientiae Abbatis Generalis ejusdem Congregationis, cum facultate etiam subdelegandi.

Diversa quidem a praesenti casu in ea causa concurrebat dimissae Abbatiae circumstantia; at si Abbas sacramentalem ordinandi potestatem ex benedictione habuisset valide Episcopi instar, Monachum non subditum ordinare potuisset, licet ob conciliarem prohibitionem illicite. Unum profecto idemque ad rem videtur, Abbatem ordinare Monachum ac saecularem non subditum, nam quoad utrumque caret privilegio, restricto et limitato ad subditos et sic potestate ordinandi. Sive valida autem sive nulla declaratur ordinatio Oratoris, semper est illicita indigetque rehabilitatione ad ordines et beneficia (jam enim concessa fuit absolutio). Ut Emmi igitur Patres de ea etiam decernant, advertere dignentur, ordinationis auctorem fuisse Oratoris Patrem ob suppositum in Abbate Vallis Umbrosiae privi-

legium quoscumque ordinandi, et bonis oratorem moribus testimonio Episcopi praeditum esse.

Dubia sunt:

I. An constet de nullitate ordinationis, ita ut sit iteranda in casu?

II. An sit consulendum Sanctissimo pro rehabilitatione in casu?

S. C. resp.

Ad I.: Constare de nullitate collationis sacrae tonsurae et esse secreto reiterandam.

Ad II. Affirmative.

Die 24. Januarii 1795.

7) Magnitudo.

Pronunciatus in Episcopum, inquit Caeremoiale, mox accepit Rocchettum et tondet caput, faciens sibi magnam coronam. Corona hic ampla dicitur, cum superiore tota capitis parte rasa vel tona longioris capilli circulus in modum coronae relinquebatur juxta veterem Ecclesiae morem, de quo Synodus IV. Toletana anni DCXXXIII. Can. XLI. sic ait: *Omnes Clerici vel Lectores, sicut Levitae et Sacerdotes detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant, non sicut hucusque in Galliciae partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispania hucusque haereticorum fuit. Unde oportet, ut pro amputando Ecclesiae scandalo, hoc signum dedecoris auferatur et una sit tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniae est usus. Qui autem hoc non custodierit, fidei catholicae reus erit.* Plura quidem jam nos docet hic Canon, I.: eam fuisse Diaconorum, Presbyterorum et Episcoporum tonsuram, quae partem superiorem capitis lotam aperiret: *Detonso superius toto*

capite; idque solum relictum esse crinium, quod esset circuli instar aut corona „inferius solam circuli coronam relinquant“; et haec quidem tonsurae forma fuit ac coronae clericalis. II: Clericos omnes a Lectoribus ad Episcopum usque tonsuram eandem atque coronam gestare debuisse. III: usos semper esse Episcopos et Presbyteros ac Diaconos ejusmodi tonsura et corona, qualis hic praescribitur, ipsos etiam Provinciarum omnium Hispaniae Clericos inferiores, si Galliciam unam excipias, ubi Lectores *prolixis*, ut laici, *comis*, in solo capitis apice modicum circulum tonderent. IV: denique ea re damnata jusisque inferioribus Clericis eandem gestare tonsuram et coronam, quam gestarent Episcopi et Presbyteri, decretum esse ab ipsa celeberrima Toletana IV. Synodo, ut pro haereticis haberentur Clerici, qui in retinendo haereticorum usu fuerint pertinaces.

Constat igitur ex enarrato Canone Toletano aequalem fuisse olim Clericorum et Episcoporum tonsuram, qualis est nunc Monachorum Fratrumque complurium. Verum cum saeculo XIII. corona in Clericis imminui coeperit, jussi sunt ipsi quidem deferre amplas coronas, sed monachi amplissimas, Episcopi tamen haud monachali dissimilem: „Clericus Cathedralis vel Conventualis Ecclesiae vel alius, qui de beneficio vivit, talem tonsuram ferat, quae gradum non habeat, sed dirigatur in gyrum, ita quod capilli, qui propter inferiorem et superiorem rasuram remanent, propter suam rotunditatem possunt dici corona.“ Verba sunt Synodi Montis Pessulani anni MCCXIV. Can. IV. jubetque Can. XXIII. ut ampliores Canonici gestent coronas, nempe duorum vel trium digitorum: „Canonici regulares amplas coronas portent et Monachi amplissimas. Ita-

que duorum digitorum vel trium amplius sit Monachis circulus capillorum.“ Sane, quod Episcopus spectat, ut alias omittam Synodos, Bundenis anni MCCLXXIX. Can. 1. illis praecipit, ut tonsuram circularem et monachalis similem coronam gessent, tum ut exemplo suo reliquos Clericos non sola auctoritate urgeant ad Legum ecclesiasticarum obsequium, tum etiam propterea quod Episcopatus supra Monachorum omnium religiones longe praestantissima religione excellat: „Praelati coronam et tonsuram patentibus omnino auribus circularem juxta regularium seu religiosorum generalem consuetudinem approbatam, cum nulla religio pontificali sit major, de caetero deferant.“ Porro saeculo ipso XIII. jam ea disciplina invaluit, ut major vel minor esset, pro majoribus vel minoribus ordinum gradibus, corona. Id enim constat ex Vorcestrensi Synodo anni MCCXI. Can. XXI., quo latiore monct esse debere coronam Clericorum majoribus in ordinum gradibus eminentium: Ne comam nutriant, sed circulariter et decenter tondeantur, coronam habentes decentis amplitudinis, secundum quod exegerit ordo, quo fuerint insigniti. Cum aliorum omnium amplissimus sit Ordo Episcoporum, merito mandat hic noster §., ut praenunciatus in Episcopum mox accipiat Rocchettum et caput tondeat, faciens sibi magnam coronam sive ut ait Caeremoniale Episcoporum lib. I. cap. I. §. 1.: *statim curabit sibi amplam coronam in capite decenter formari.*

(Catalan. Caerem. Eccles. rom. l. I. pag. 339.)

Vd.: *Sacerdos* (habitus etc., decr. *Eugenii PP. IV.*)

8) Ordine est?

Celebris in id contentio est inter

Theologos et Canonistas. Censent Theologi, primam tonsuram non esse ordinem, sed dispositionem ad ordines: idque ex pluribus canonici juris locis argumentatione desumunt, ut post *div. Thom.* in 4. distinct. 24. quaest. 2. *Altiscodor.* in sum. lib. 4. tract. 8. quaest. 1. col. 1. *supplem., div. Thom.* quaest. 40. art. 2., *Sot.* in 4. distinct. 24. quaest. 1. art. 1. circ. fin., *Silvest.* verb. Ordo 1. num. 1. in 1. et 2. dub., *Vasq.* in 3. part. *div. Thom.* tom. 3. disput. 236. cap. 1. Numerant altera ex parte Canonistae novem ordines, non simpliciter prout sunt gradus Ecclesiae, sed prout sunt Sacramentum et inter eos tonsuram et episcopatum; ideoque ex pontificio etiam jure, Conciliis et argumentis probant, verum ordinem esse tonsuram et characterem imprimere. Ita prae caeteris *Abb. antiqu.* in cap.: cum contingat de aetat. et qualit. gloss. 2. num. 1., *Covarr.* in cap.: quia nos num. 4. de testam., *Gemin.* in can. Cleros col. 2. prope fin. vers. ad primum 21. dist., quibus aliisque adhaeret *Fagnan.* in cit. cap.: cum contingat num. 44. eruditeque utramque sententiam refert et expendit *ibid.* a num. 12. ad num. 118.

(Ex resol. S. C. C. diei 24. Martii 1795. *Ravennaten.*)

9) Requisita a parte Ordinandi.

Privernen.

Postulavit ab Episcopo Franciscus de Montibus Privernas Medicinae Professor, ut tertio ex sex filiis masculis, quos habet, Augustino tonsuram conferret, cum clericali militiae nomen dare cuperet: Renuit Episcopus: querelas ille detulit de hac recusatione ad hoc sacrum Tribunal. Auditus itaque, ut fieri solet, Episcopus respondit „Dioecesanos suos omnes ad

statum ecclesiasticum vocationem habere, itaut si instantium precibus annuere vellet, ecclesiasticorum exercitus eum opprimeret: Priverni Civitatem Clericorum sufficientiam habere et ante Augustinum locum tenere praefatae Civitatis Alumnos, qui per plurium annorum spatium in Seminario dioecetano moram fecerunt et faciunt.“ Addidit Episcopus majorem Francisci filium, qui Canonicus est Cathedralis Ecclesiae, itaut eum juris remediis revocare meditaretur. His auditis rejectae fuerunt Francisci preces, qui tamen non fractus animo hac repulsa novas obtulit preces, quibus monstrabat a veri specie Episcopum recessisse. Auditus itaque fuit iterum Episcopus, qui mutavit recusationis causas aliasque attulit: „Francisci filium Augustinum nullimode fuisse pro altari natum, eo quod saecularibus non modo officiis incumbat salemque absente fratre in officina vendiderit, sed scholam neglexerit, adeo ut, licet vigesimum aetatis annum agat, solis tamen grammaticae regulis operam navet, quam obrem nullimode pro prima tonsura audiendum esse censet, eo quia nihil boni in eo sperari possit“ Visum est ob hanc variationem atque inconstantiam Episcopi rem accuratius esse discutiendam et ideo, conceptis dubiis, causa omnis amplissimorum Patrum judicio subicitur.

Ad tonsuram obtinendam Tridentina Decreta non alia requiruntur nisi ut *promovendus sciat rudimenta fidei et saltem legere et scribere lingua vulgari et materna*, ut communi Doctorum sententia interpretantur *Barbos.* ad Concil. Trident. *sess. 23. cap. 4. de ref. num. 5.; Ventrigl.* in prax. tit. de exam. ordin. annot. 43. §.: *Unic. num. 26.* Haec autem excedunt in Augustino, qui, ut constat ex ipsius Episcopi testimonialibus literis datis, ut in aliquod adolescentium

collegium cooptaretur, *bonis moribus imbutus est, grammaticae praeceptis versatus bonisque parentibus ortus, non processatus, non querelatus fuit*, quique, licet vigesimum annum agat, rhetoricae operam dat, ut testimoniam facit magister, qui ejus pietatem diligentiamque commendat: objecta ab Episcopo in utraque epistola facile diluit Pater, qui testimonia dat virorum genere, dignitate publicisque muneribus illustrium, e quibus constat exercitum illum ecclesiasticorum, quem timet Episcopus, Priverni non esse immo his copiis indigere Civitatem, cujus Civitatum detrimento ac dedecore beneficia exteris et peregrinis hominibus conferri debent et sacra saepius non inveniunt, qui agant ibi, qui Neapolim iter faciunt, Sacerdotum defectu: Clericorum numerum sacris canonibus non esse praefinitum neque in tonsura eadem legem esse, quae solet esse numeratis Ecclesiis: Alumnos, qui in Collegio seu Seminario sunt, nullum praestare posse impedimentum, ne alii prima tonsura initiarentur, nullumque jus Seminarium dare praelationis Alumnis, et si jus etiam praelationis haberent, aliam esse praelationem, aliam vero esse rejectionem aliorum: Episcopum, qui metuit ab exercitu ecclesiasticorum, qui censuit praefereudos Alumnos Seminarii, ut rejiceret a tonsura Augustinum, contulisse tonsuram duobus Privernatibus adolescentulis post datas preces ab Augustino, qui tamen nec in Seminario fuerunt nec digni erant, ut prima tonsura initiarentur, ut monstravit exitus; alter enim bubulcum agit, alter de infando crimine accusatus et in carceres coniectus evasit ob nullitatem defectumque jurisdictionis et fugiens patriam Romam venit vilique arte lucrum quaerit: Francisci filium natu majorem, qui Canonicus cathedralis est, studiorum causa ab-

fuisse et Capituli consensu ac venia sacri hujus Tribunalis Romae fuisse, impleto tempore Privernum repetisse, ut inane sit, quidquid Episcopus meditaretur de eo revocando juris remediis: et si per desidiam otiumque abfuisset, nihil ad alium fratrem pertinere alterius fratris culpam: salem in officina aut taberna numquam venditum fuisse sive ab Augustino sive a fratre nec potuisse vendi, quia sal venditur in officina salaria a ministro Publicani Camerae seu Fisci Principis: confundere Episcopum sales et officinas; lapideum sal vendere potest Summorum Pontificum privilegiis nobilissima Columnensis Familia: his salibus distribuendis, qui in horreis sunt, praefectus fuit Franciscus, iis vero vendendis Minister est mercede conductus, non Augustinus, non frater; si voluisset Augustinus, nec potuisset quidem, cum scholae vacaverit assiduo, ut Magister et plurimi testes narrant: haec Franciscus; a Promotore Fiscali nihil habuimus.

Dubia sunt:

I. An constet de legitima recusatione collationis primae tonsurae in personam Augustini de Montibus? Et quatenus negative;

II. An sit injungendum Episcopo, ut dictam primam tonsuram conferat vel alio modo sit consulendum indemnitati Augustini in casu?

S. C. resp.: Ad Eminentissimum Praefectum juxta mentem.

Die 17. Maii 1749.

Aetas sufficit septem annorum ad obtinendam primam tonsuram et tres primos minores Ordines, *Gloss. in cap. De his 6. dist. 28. et cap. cum nullus 4. de tempor. ordin. in 6.*; qua quidem in aetate nemo certae vocationis signa praebere valet.

Ad scientiam quod attinet, affirmat pro tonsurandis sufficere, quod fidei rudimenta, legere et scribere non ignorent, Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. de Reform.; pro minoribus vero Ordinibus quod linguam latinam intelligant, *ibid.* cap. 5. 11.

De qualitatibus, quibus pollere debent initiandi ad primam tonsuram, idem Concilium Trid. sess. 23. cap. 4. haec habet: „Prima tonsura non initientur . . . qui legere et scribere nesciant et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saeculari iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse.

(Ex resol. S. C. C. die 31. Augusti 1771 Alexandrinen.)

10) Ritus.

Ad dub.: In collatione primae tonsurae legitur in Pontificali: *Quilibet quum tondetur dicit: Dominus pars etc.* Haec verba sunt proferenda etiam ab Episcopo?

„Proferat juxta morem.“ N. 4669 ad 3 die 12. Novembris 1831.

Ad dub.: An liceat Archidiacono seu alteri imponere superpelliceum clericis ordinatis ad primam tonsuram in primo ingressu pro exercendo eorum munere?

S. C. resp.: Non licere, imo omnino prohibendum. Die 15. Septembris 1640. *In Castellanat.*

Vd.: *Ordinatio Graecor.*; *Mozzetta Episcopi* (t. II. p. 308.)

11) Tempus et dies conferendi.

Vd.: *Ordines Minor.* (tempus confer. decr. *Portallergen.*)

Quoad tempus ordinationis, conferri quidem potuit tonsura die profesto,

ut ex ipso desumitur Pontificali Romano *in rubric. de Ordin. conferend.*, non item Ostiariatus; nam cum reliquis minoribus Ordinibus conferri omnino debet diebus dominicis et festis, ut habetur Pontificali Romano tit. de minor. ordin. *in cap. de eo 3. de tempor. ordination.*, et ex decreto sacrae hujus Congregationis in *Portallergen.* 13. Aprilis 1720.

(E resol. S. C. C. diei 19. Augusti 1797. *Fabrianen.*)

12) Titulus ad tons. conferend.

Vd.: *Titulus* (ad tonsuram etc.)

TONSURANDI.

(Vocatio.)

Ad dub.: In Ordinatione Clericorum, antequam Tonsurandi nominandi vocentur a Notario, debetne Archidiaconus eos invitare dicens: *Accedant qui promovendi sunt ad tonsuram?*

S. C. resp.: „Potest juxta morem generalem.“

N. 4669 ad 2 die 12. Nov. 1831.

Vd.: *Ordinandi* (vocatio). *An caecus promov. sit ad tonsuram?* vd.: *Ordinatio caeci.*

TONSURATUS.

(Potestne fungi in Officio Subdiaconi?)

Vd.: *Subdiaconus* (Minorista decr. n. 5126) *De oblig. tonsuram deferendi*, vd.: *Habitus clericorum. Constitutio Clem. XI. die 7. Decembris 1706.* (Bull. r. t. VIII. p. 252) *Missae* (Celebrans utrum sedere debet? *Epistola Bened. XIV. n. XXII.*)

S. TORQUATUS E. C.

Hispaniarum.

Relatis in S. Rituum Congregatione per Emmum Cardinalem de Abdua

enixis et piis precibus serenissimi Caroli secundi catholici regis ab Emmo D. duce Medinae Coeli ejus apud s. Sedem oratore porrectis pro extensione festi s. Torquati Episcopi cum Missa et officio proprio alias pro civitate Gadicen. approbato, eadem S. Congregatio censuit esse concedendum ut ab omnibus ecclesiasticis tam saecularibus quam saecularibus utriusque sexus, qui ad horas canonicas tenentur, regnorum Hispaniae ipsi catholicae majestati subjectorum, in posterum singulis annis recitari possit sub die 15. Maii ejus festo officium et missa sub ritu semiduplici de praedicto Sancto, servatis in reliquis rubricis breviori et missalis romani, si SSmo D. N. placuerit. Die 16. Aprilis 1692. Facta igitur deinde SSmo D. N. Innocentio Papae XII. per me Secretarium relatione Sanctitas Sua annuit. Die 25. ejusdem mensis Aprilis et anni 1692.

(Anal. J. P. 1865 p. 1327 n. 2469.)

TRACTUS MISSAE.

(Cantus.)

Ad dub.: *An tractus missae conventionalis per integrum dici debeat a cantoribus?*

Resp.: In decreto S. Rituum Congregationis diei 22. Julii 1848 in Senen. ad 4. constat omitti posse a cantoribus quasdam non praecipuas partes in missa solemni, quae tamen submissa voce dicendae sunt, dum organi sonitus supplet: integre vero omnes cantandas si organum non pulsatur. Hic mox viget in alma urbe, praecipue in Ecclesiis patriarchalibus et in ipsa basilica vaticana integer canitur tractus etiam quando organi sonitus accedit. Constat vero ab altero decreto die 12. Augusti 1854 ad 14. in Brionen. omitti posse